



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

972. Quid possit Epsicopus circa suppressiones beneficiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

2. Secundò Patronorum laicorum, dum beneficia supprimenda sunt juri patronatus laicalis. *Castrop. l. cit. n. 3.* Corrad. *l. cit. n. 81.* quin & Ecclesiasticorum, dum juxta patronatus est Ecclesiasticus, ita ut suppressio aliàs sit nulla. *Corrad. n. 82.*

3. Tertio Collatorum etiam inferiorum, qui sunt in possessione juris conferendi, maxime competente illis jure speciali. *Corrad. n. 82. & 83.*

4. Quarto etiam Electorum, dum beneficium est electivum. *Corrad. n. 82.* Et hæc omnia juxta dicta in hoc puncto de unione, dismembratione, divisione beneficiorum.

Quæstio 97. An, & qualiter præter causam solennitatem, & consensum interessatorum constare debeat de statu collativo beneficium, ut suppressio suscipiatur?

R. Respondeo: Præsupponit suppressio beneficium existens in statu collativo, seu legitime erectum. Et ante omnia de hoc statu debet constare, & dicti status collativi existentia probari. *Corrad. l. cit. n. 45. juxta n. 47.* Probatum autem per hoc status collationis & ejus erectio, quod per vires aliquas fuerit collatum, et si non constet, à quo fuerit erectum; quia sufficit, quod sit in rerum natura, & in statu collativo per aliquas collationes effectum suum sortitas. Sed & quando Ordinarius esset in quasi possessione conferendi, vel ad alterius presentationem instituendi, ratione hujus quasi possessionis præsumitur beneficium Ecclesiasticum cum debita solennitate erectum. *Corrad. n. 49.* citans *Gonz. gl. 5. n. 11.* Ex collationibus enim, sive apostolicæ sive ordinariæ auctoritate factis, factis probatum dicitur, quod beneficium erectum fuerit à principio, & esset perpetuum, & in statu collativo. *Corrad. n. 50.* quinimo satis esset unica collatio, ut probetur ultimus status beneficium, modo non probetur status antecessens contrarius ultimo statui. Et sic, si probetur collatio talis beneficium facta ab Ordinario, præsumi debet in dubio etiam approbata illius fundatio tanquam necessariam antecessens. *Corrad. à n. 51.* sed de his alibi scribitur.

Quæstio 97. Quid possit Episcopus circa suppressiones beneficiorum?

R. Respondeo primò: Potesse Episcopus beneficia aliquot simplicia, vel etiam aliquot præbendas & Canonicatus suppressere, ut ea uniendo reliquis præbendis Cathedralibus, vel Collegiatis insignis subveniat eorum tenuitati, juxta modum & formam illi præscriptam à Tridentino. *sess. 24. c. 15.* ubi ea illi potestas conceditur hæc formalibus: in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbende simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradus pro loci, & personarum qualitate non sufficiant. liceat Episcopo cum consensu Capituli vel aliquot simplicia beneficia, non tamen Regularia, nisi unire, vel si hac ratione providere non possit, aliquibus ex his suppressis cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sunt, quorum fructus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eos ad pauciores numerum reducere. Ita tamen, ut tot super sint, qui divino cultui celebrando ac dignitati Ecclesiæ commode valeant respondere. Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, Privilegiis, aut quacunque reservatione generali vel speciali, aut affectione. Neque prædicta

uniones, aut suppressiones tolli aut impediri possint ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus, &c. Circa quæ observanda sunt sequentia.

2. Primò: Vi hujus decreti non nisi in Cathedralibus, & Collegiatis posse Episcopum facere hanc suppressionem. *Corrad. l. cit. c. 8. n. 56. & 76.* ubi, quod hæc facultas supprimendi concessa sit per Tridentin. in Cathedralibus Ecclesiis, aut Collegiatis insignibus; in aliis vero Ecclesiis nulla tributa facultas extinguendi præbendas, ut auquantur distributionibus quotidianæ ad augmentum cultus divini. Pro quo citat *Monet. de distribut. q. 1. c. 5. n. 28.*

3. Secundò: Vi hujus decreti licere id Episcopis, non verò impositam illis necessitatem seu obligationem id faciendi. Unde etiam Metropolitanus non potest supplere, ubi Episcopus id non facit. Ita habet Declaratio S. Congreg. ad hunc locum, apud Gallemar.

4. Tertio: Non licere vi hujus decreti Episcopis suppressere, ut suppressa uniat Capellaniis, etiam Cathedralibus, hærentibus tenues redditus; cum hoc decretum loquatur de solis præbendis, & distributionibus juxta declarat, S. Congreg. apud Gallem. *loc. cit.*

5. Quarto, quod locum habeat hoc decretum, quando nullæ sunt distributiones, & præbendæ tenues; & è contraria etiam, ut ista suppressio, & unio fieri possit pro distributionibus quotidianis, ubi hæ nullæ erant, modò præbendæ sint tenues, sic censuit S. Congreg. apud eundem Gallem. *loc. cit.*

6. Quintò, quod fieri nequeat suppressio & unio Archidiaconatus, dum hæc dignitas non habet vocem in Capitulo, nec redditus participat de mensa Capitulari, sed solum stallum in choro, prout S. Congreg. apud Eundem *l. cit.*

7. Sextò, quod vi hujus decreti suppressere nequeat Dignitates, cum Concilium loquatur de simplicibus & præbendis tantum. Eadem Congregatio apud Eundem; quamvis contrarium teneat *Garc. p. 12. c. 2. n. 3. & 4.* *Corrad. l. cit. n. 90.* nempe quod Episcopus possit etiam suppressere dignitatem & officium, ejus fructus applicando & distribuendo inter singulos Canonicos. Idque, etiam si dignitas illa erecta esset auctoritate Apostolica, ad sitque decretum irritans, dum ex post diminutio illa redditum accessisset. *Garc. l. cit.*

8. Septimò, quod, ut dictum, per consensum Capituli intelligatur consensus Capituli illius Ecclesiæ, in qua fit suppressio.

9. Octavò, quod non possit Episcopus procedere ad extinctionem præbendarum, priusquam tentata fuerit alia via subveniendi tenuitati præbendarum, aut distributionum, nempe per unionem aliquot simplicium, & constet, id fieri non potuisse. *Castrop. l. cit. n. 3.* *Ventrigl. l. cit. §. 1. n. 20.* juxta dicta à nobis paulò ante ex iisdem.

10. Nonò, quod, ut præbendæ aliquæ supprimi possint pro augendis distributionibus quotidianis, oporteat fructus præbendarum talis Ecclesiæ esse ita tenues, ut ex illis nequaquam tertia pars pro quotidianis distributionibus deduci possit; aliàs enim, si ita tenues non sint, sed dictam deductionem pariantur, ea faciendæ, pro ut mandat *Trident. sess. 21. c. 3.* omiis suppressio aliquot præbendarum. *Castrop. loc. cit.*

11. Decimò, quod, sicut, ut validæ sint uniones factæ etiam seminaris de reservatis Papa, necesse est, eas factas antequam vacent ea beneficia, idem similiter

militer dicendum sit de suppressionibus factis ex causa tenuitatis præbendarum. S. Congregat. apud Galliam. uti idem tradit Corrad. *cit. c. 8. n. 95.* ubi, quoddam licet Episcopus ex dicta causa huiusmodi suppressiones facere possit, id tamen intelligendum, modò tales suppressiones faciat de beneficiis non vacantibus in mensibus reservatis Papæ; quia etiam si supprimat beneficia, ut subveniat tenuitati Canonice; non tamen id ei permittitur in præiudicium Sedis Apostolicæ, prout declaravit S. Congregat. 19. Nov. 1619, teste Barbof. in *Collectan. v. Canonice. fol. 97.*

12. Undecimò, quoddam Concilium non concedat Episcopo facultatem supprimendi beneficia seu præbendas, ut uniantur, seu eorum fructus applicentur mensæ Capituli, multòque minus mensæ suæ, sed singulis præbendis tenuibus singulorum Capitularium. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *gl. 37. n. 25.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 30. q. 15.* Barbof. *de pot. Ep. alleg. 67. n. 9. & 10.* uti etiam alias nunquam potest Episcopus supprimere beneficia, cedente suppressione in favorem sui; cum in re seu facto proprio, & sibi utiliauctoritatem præstare nequeat. Corrad. *cit. n. 54.* in fine. Castrop. *l. c.* juxta Clem. *si una. de reb. Eccl. non alien.* vide dicta hoc in puncto de unione.

13. Duodecimò, quoddam etiam, dum numerus præbendarum in aliqua Ecclesia à Sede Apostolica approbatus confirmatusque fuit, adhuc possit Episcopus ex dicta causa facere suppressionem præbendarum, & sic minuere huiusce numerum cum consensu Capituli, dum post huiusmodi confirmationem Apostolicam fructus præbendarum notabiliter diminuti sunt, non secus ac illum numerum augere potest, dum post dictam confirmationem fructus notabiliter excreverunt, eò quod confirmatio illa intelligatur rebus in eodem statu permanentibus, in quo casu utriusque id non poterit Episcopus. Corrad. *loc. cit. n. 69.* Garc. *p. 12. c. 1. n. 4.* Castrop. *loc. cit. n. 5.* Azor. *loc. cit. q. 13.* citantes Abb. in *c. cum accessissent. n. 4.* Felin. *ibidem. n. 17.* Proceditque id ipsum, etiam si confirmatio illa Apostolica continuisset decretum irritans, non secus ac eo decreto non obstante excreverunt fructibus, numerus ille confirmatus à Papa augeri potest. AA. *ibidem.* E. contra verò fructibus præbendarum post dictam confirmationem non diminutis, numerus earum, seu Canonice & ministrorum in Ecclesia statutus minui non potest suppressione; quia Ordinarius, etiam cum consensu Capituli nequit derogare confirmationi Apostolicæ. AA. *ibidem.* Idque etiam, si non adesset decretum irritans. Garc. *loc. cit. n. 8.* Corrad. *cit. n. 69.* Quin etiam, ut Castrop. fructibus etiam non excreverunt post dictam confirmationem, augeri possit ille numerus, ubi non adesset in dicta confirmatione decretum irritans; eò quod confirmatio Apostolica, ne augeatur numerus, inducta est in favorem Canonice, cui ipsi cedere possunt: ètque utilius Ecclesiæ regulariter, ut numerus præbendarum augeatur, secus ac accidit in diminutione numeri.

14. Decimo tertio, quod hæc suppressio fieri debeat sine præiudicio obtinentium supprimenda, sicut dictum de unione, adeoque ea quidem fieri possit iis viventibus, sed non fortiri effectum ante cessum, vel decessum eorum.

15. Decimo quarto, quod hoc decretum locum

non habeat in suppressionibus ad tempus, sed perpetuis, ut censuit S. Congregat. apud Collemar. *l. c. 16.* Respondeo secundo: Potest Episcopus in vim aliorum decretorum Tridentini, de quibus supra, ubi de unionibus vel etiam de iure communi in omnibus illis casibus supprimere beneficia, in quibus ea unire potest accessorie; quippe illa unio non fit sine suppressione, & suppressionis huius, ut dictum ex Lott. est unio. Atque ita supprimere potest, ut fructus applicentur Seminario, aut etiam fabricæ Ecclesiæ, alterive loco pio. Castrop. *loc. cit. n. 3.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 30. q. ult.* vel etiam supprimere, ubi nimia multitudo beneficiorum, & beneficiorum gignit confusionem, absque eo, quòd reditus diminuti sunt, ut vidimus supra, ubi de causa suppressionis ex Lott. Sic quoque licet vi *cit. c. 15.* Trid. non possit extinguere præbendas in aliis Ecclesiis, quàm Cathedralibus, aut Collegiatis insignibus, ad augendum distributiones, poterit tamen id aliunde, exigente augmento (intellige necessario) cultus divini. Sic etiam supprimuntur ab eo beneficia, dum eius auctoritate destruitur Ecclesiæ unà cum redditibus. Garc. *loc. cit. n. 14.* Ex quibus autem causis dari possit destructio hæc Ecclesiarum, vide apud Gonz. *gl. 5. §. 7. à n. 147.* Supprimere verò non potest Episcopus Parochialem, ut ea convertatur in Collegiatam; uti nec in similibus casibus erectionum, seu ad effectum erectionis alterius, intellige, Ecclesiæ, vel dignitatis, quæ ipse creare non potest. Corrad. *loc. cit. n. 70.* Porò formulam faciendæ suppressionis in casibus *cit. c. 15. Trid.* vide apud eundem Corrad. *loc. cit. n. 77.* Illud quoque observandum ex eodem *n. 20.* quòd etsi Episcopus, etiam ex vi dicti Concilii Trid. & in casibus ibi expressis possit supprimere, quia tamen sapienter occurrit, huiusmodi suppressiones ab eo factas legitime facillimo negotio inficiari, ad Papam solere haberi recursum pro illarum maiore subsistentia. Unde, ut idem *n. 92.* in praxi servatur, ut, cum de huiusmodi suppressionum validitate quoquo modo hæsitatur, vel illa petantur à principio à Papa, vel jam ordinariâ auctoritate facta à Papa confirmantur.

Quæstio 973. An aliis Episcopo Inferioribus competat facultas supprimendi?

1. Respondeo primò: In casu, & causa supprimendi expressis à Trid. *c. 15. sess. 24.* nulli, præterquam Episcopi conceditur ea facultas. Castrop. *cit. §. 9. n. 2.* ubi, quòd in dicto Tridentini decreto comprehenditur nomine Episcopi solus Episcopus. Unde jam Abbati, etiam exempto, & habenti jurisdictionem ordinariam, ac quasi Episcopalem, non licet cum consensu sui Capituli præbendarum numerum, etiam ubi præbendæ adeo tenues sunt, in distributiones quotidianas infumendum diminuere, seu supprimere. Castrop. *loc. cit.* citans Barbof. *ad cit. loc. Trid. n. 2. & 5.* qui sic decisum dicit à S. Congregat. uti quoque eandem declarationem refert Galliam. *loc. cit.* Neque id licebit Capitulo sede vacante, juxta ejusdem Congregat. declarationem apud Galliam. *loc. cit.*

2. Respondeo secundo: Poterunt tamen Prælati illi facere in Ecclesiis aliis suppressiones eorum beneficiorum, quæ unire possunt unione accessionis, cum ea secum trahat hæc suppressio.